

## TRANS SYLVANIA SIEBENBURGEN.

*Regio.  
Nomina.  
Sicis.  
Sols feridianis.*

*Animalium va-  
rietatis.*

*Imperium Ma-  
jorum.*

**T**RANSYLVANIA Daciæ veteris pars est Mediterranea, quam Ripensem Romani dixerunt, nomen nunc habet a silvarum montiumque ambitu; silva est Hercynia; Mons Carpathus. Dicitur & Septemcastrensis vulgo, nomine a voce Germanica Siebenburgen mutuato, ac EdeHungar. Terminant eam ab Occidente Pannonia, a Septentrione Polonia, ab Austro Valachia, ab Oriente Moldavia. Est autem Transsylvania rerum omnium feracissima: ac Frumenti per universam hanc Regionem magna est ubertas. Præter experientiam quotidiam testatur id Trajani numus in quo Ceres erecta, dextera tenens cornu Amaltheæ, lœva tabellam: cum hac epigraphe *Abundantia Dacia*. Vinum fert præstantissimum ad Albam Iuliam, Devam, Egmedinum, Birthelbinum, Fenuscum. Fructuum item magna copia est, inter quos, ut reliquos omittam, præstantissima Pruna Damascena vulgo di&a, mala Cotonea, Cerasa dulcia, quæ cum Marosticanis Italicas conferri possunt, Melopeones vulgo Melones, præstantissimi. Herba etiam nobiliores passim crescunt. Rha Ponticum, Centaurium majus, Gentiana maxima flore flavo & purpureo, Rhodia radix, Absinthium Ponticum, Libanotis prima Theophrasti, Crocus aliæque sexcentæ. Metallorum Fodina nobiles permultæ. Auri etiam ad Sculartin: quæ Zula&kna dicitur Hungar, & ad Rimili Demmurdz, quod sonat Rivulum dominorum. His locis exscinduntur glebae Auri purissimi, cujus effossi statim usus esse possit sine ulla accurata separatione. Auri hanc ubertatem testantur frequentes Romanorum numi aurei qui his locis sape effodiuntur: quoru parte altera viri est effigies cum petaso, & hac inscriptione C. CATO. parte altera Dacia forma Divæ, libellam dextera tenens cum inscriptione AV: RPVR. Argenti fodinae sunt ad Offera & Radna. Cuprum isdem Montibus est fodiuntur quibus Aurum & Argentum. Chalybs ad Cyk; ferrum ad Thorosco & Vaidahunida: Stilphur & Antimonium in Cupri fodinis. Salis autem fossilis tanta copia est, ut vicinis regionibus abunde subministret. Boum præterea tanta multitudo, ut etiam prægrandes singuli singulis sape florenis vendantur. Quid dicant de Equis, quos generosos & præstantes producit, queis per se mollis alterno crurum explicatu glomeratio? Quid Avium varia genera commemorem? Aquilas, Falcones, Phasianos, Perdices, Pavones silvestres, Gallinagines, Scolopaces Olympio, Rusticulas Plinio, vulgo Sneppas, & Gallos? Quid aquatiles? Cygnos, Tardas & Onocrotalos? Et ut ab Avibus ad Feras transeam: habet hac Regio saltus prægrandes ac Nemora ingentia, in quibus Vri, Bubali, Alces, Cervi immanis magnitudinis, Lynxes, Martes, Mures Pontici, Vrsi, Damæ & Lepores albi. Coluere hanc Regionem jam olim varia gentes Iazyges, quorum etiam hodie reliquia sunt in Hungaria: tum *Metanastæ* etiam Plinio nominati, & Geta, Bastarnæ, Sarmatae, Graci, Romani, Scytha, Saxones, Hungari. Romani eam sero debellarunt: Nam Trajanus Imperator victo Decebalo Dacorum Rege, primū eam in provinciæ formâ rediget, urbanique Zarmizegethusam vocavit de suo nomine *Ulpianam Trajanam*. Eam Galienus ducentos post annos amisit, exque eo tempore humanitate sermonaque & elegantiis Romanorum depositis, cœperunt Incolæ ferociam Barbariemque pristinam repetrere, Valachorum etiam nomine adsumpto. Post